



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm XL. Quia sæpe.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

ideo electio corrui: Sin autem electio in iurisdictionis sit, confirmatio eius nulla erit.

## CAPITVLVM XL.

Quia sæpe.

## SVM MARI VM.

1. Si Capitula, Conuentus, Collegia, & persone eorundem singulares occupent bona à Prælato relicta, aut sede vacante obuenientia, donec plenè restituant, ab officio, & quibuscunque beneficijs sunt suspensi, non obstante quocunque priuilegio, statuto, vel consuetudine.
2. Prouenus etiam, qui sede vacante obueniunt, ad Capitulum non pertinent, et si ratione iurisdictionis ab eo exercita acquirantur.

Capitula, Conuentus, Collegia, & persone eorundem singulares, si aliquid ex bonis à Prælato antecedente relicta, aut sede vacante obuenientibus occupent, inter se diuidant, surripiant, vel absument, suspensi manent ab officio, & quibuscunque beneficijs, donec plenè restituant, quod acceperunt: Idque non obstante quacunque consuetudine, statuto, aut priuilegio. Ratio huius Constitutionis est, quæ in proemio affertur: quia bona à Prælato antecessore acquisita, vel sede vacante prouenientia, ad prælaturam pertinent: quæ vel in ecclesiæ eiusdem vtilitatem conuerti, vel futuro successori relinqui debent, atque interim ab ecclesiæ Oeconomo, vel, si alius administrator deputatus est, cõseruari.

2. Sed dubitare aliquis potuit: Numquid ij prouentus, qui sede vacante ratione iurisdictionis, & sigilli obueniunt, ad Capitulum pertinere debent, si interim iurisdictionem exercent? Videtur enim affirmandum, propter iuris reg. 55. hoc lib. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contrà. Præterea fructus debentur iurisdictioni tanquam accessorij: ergo qui iurisdictionem exercet, etiam fructus inde prouenientes habere debet. Sed his non obstantibus, contrarium expressè responsum fuit à Clem. V. Clem.

tina penult. de elect. Ratio reddi debet: Quia Capitulum, ratione obligationis, & connexionis, quam habet ad ecclesiam, & cum Capite ecclesiæ, eius bona tueri debet, non perdere: Quemadmodum simili ratione mater, atque agnati proximi ratione coniunctionis cum pupillo, eius bona ex pietatis lege administrant, non percepto inde emolumento. Ad reg. 55. respondeo; Eam locum non habere, si onus ex propria institutione, aut natura rei annexum est alicui officio, sine comodo: Vti patet in tutela, præsertim legitima; item in mandato, quod gratuitum esse debet, l. i. ff. mandati. Ita tamen, ut eiusmodi officia damnosa non sint, sed expensæ omnes repeti possint.

Ad alterum respondetur: Si quis nomine suo iurisdictionem exercent, prouentus inde prouenientes accipere ipse potest: sin autem nomine alieno, ipsi referuare debet. Atqui Capitulum, sede vacante, iurisdictionem exercet non nomine ecclesiæ, tanquam eius tutor, administrator, cõseruator: Ergo non sibi bona attribuire, sed ecclesiæ relinquere, & successori referuare debet. Sed excipitur in dicta Clement. penult. Nisi quedam singulares personæ sint, quibus ratione dignitatis suæ (quia v. g. sunt Præpositi, aut Decani ecclesiæ) iurisdictione sede vacante ex consuetudine, statuto, priuilegio, ita competit, ut interim fructus ex eadem iurisdictione prouenientes ipsimet retineant. Talis consuetudo reprobata censeri non debet. Vide etiam c. ult. de offic. Ordinarij, hoc lib. & tit.

## CAPITVLVM XLI.

Constitutio.

## SVM MARI VM.

Quæ in decret. vt circa i. hoc tit. & lib. præscripta sunt circa appellationem contra prouisionem alicuius, solum in extraiudicialibus locum habent: in iudicialibus antiqua iura seruanda sunt.

Quæ à Gregorio X. c. vt circa. 4. hoc tit. & lib. præscripta sunt, vt obseruentur ab appellatibus contra electionem, postulationem